DE LIBELLO *ΠΕΡΙ ΥΨΟΥΣ.*

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

RITE IMPETRANDOS

VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XIV M. MART. A. CIƆIƆCCCLXXVII HORA XI

PVBLICE DEFENDET SCRIPTOR

LVDOVICVS MARTENS

HAMBVRGENSIS.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT:

RVDOLPHVS BALLHEIMER, CAND. PHIL.
THEODORVS BIRT, DR. PHIL.
FELIX HETTNER, DR. PHIL.

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGI, VNIV. TYPOGR.

1877.

FRANCISCO BVECHELERO

HERMANNO VSENERO

S.

I. De Caecilii libro *περὶ ὕψους* . . . . p. 5

II. De aetate scriptoris *περὶ ὕψους* incerti . . . . p. 22

III. Addenda ad editionem Iahnianam . . . . . . p. 33

I. De Caecilii libro περὶ ὕψους.

Caecilii libellus quem de sublimitate conscripsit, cum sicut cetera praeclari huius ingenii monumenta succubuerit temporum iniuriis, unicam eius notitiam ignoti adversarii de eodem argumento debemus commentationi, cuius melior fortuna non exiguam servavit partem. Pauca igitur de illius libri forma atque indole constitui possunt; attamen plura, opinor, quam quae constituta sunt a viris doctis. Itaque omnia accuratius colligere placuit, quibus lux aliqua huic quaestioni adspergi posse videretur. Quam rem si recte instituimus, accuratius quam adhuc factum est Caecilii adumbrare licebit ingenium atque iudicium.

Nam qui adhuc data opera de hoc Caecilii libello disputaverunt Buchenau[1]) et Burckhardt[2]) sola ea in censum vocavere, quae eius nomine videbant signata. Atqui scriptor libri superstitis ipso prooemio[3]) apertissime indicat eos sibi lectores obversari qui recentes essent a Caeciliani libri lectione. Quin p. 14, 12 (ed. Iahn.)[4]) exempla e Timaeo collecta ideo se non cumulaturum profitetur, ne taedium moverent Caeciliana repetita. Quodsi iis destinatus erat liber qui memoria tenerent adversarii placita, consentaneum, opinor, est etiam tacite ad ea respexisse scriptorem multaque prioris libelli reconditiora subesse vestigia.

---

1) De scriptore libri περὶ ὕψους. Diss. Marburg. 1849. p. 44 sqq.

2) Caecilii rhetoris fragmenta. Diss. Basil. 1863. p. 20 sq. 44 sqq.

3) τὸ μὲν τοῦ Καικιλίου συγγραμμάτιον, ὃ περὶ ὕψους συνετάξατο, ἀνασκοπουμένοις ἡμῖν ὡς οἶσθα κοινῇ κτλ.

4) παραθήσομαι δὲ τἀνδρὸς ἓν ἢ δύο, ἐπειδὴ τὰ πλείω προέλαβεν ὁ Καικίλιος.

Atque paucis tantum locis etiam non appellatum viri docti agnoscebant Caecilium tutiorem illi procul dubio secuti rationem, quam qui indiscreta omnia ad Caecilium revocare audebant. Nam cum totus sit ex controversia libellus, sententias Caecilii saepius simpliciter receptas esse vix credas. Neque igitur, ut hoc exemplo utar, comparationem p. 29 inter Demosthenem et Ciceronem institutam temere velim adscribi Caecilio [1]). Verisimilius certe est etiam in hac re de qua proprium Caecilius emiserat libellum, consulto ab eius opinionibus discessisse adversarium. Atque Dionysius quoque, cuius vestigia in multis rebus secutum esse constat amicum natu minorem, paullo aliter de Demosthene iudicavit. Dum enim vim sublimitatemque Demosthenicam mirifice extollit scriptor *περὶ ὕψους*, ille totum eius dicendi genus tamquam medium aliquod et ex omnibus mixtum describit [2]). Praeterea reprehendit quaedam apud Demosthenem Dionysius [3]), quae defendisset sine dubio noster scriptor. Accedit quod in vitiorum collectione p. 58, 24 proposita, qua ipsum Caecilium respici infra apparebit [4]), Demosthenes quoque inter Homerum Platonemque nominatur.

Nobis igitur, ut utrumque devitemus errorem, ab iis proficiscendum est locis, qui Caecilii nomine sunt notati. Et prooemio quidem de toto Caecilii libello iudicium fit satis acerbum: quaenam sit sublimis dictio, sescentis exemplis inutiliter eum demonstrasse, praetermisisse vero tamquam supervacuum, qua

1) Hac opinione nisus Morawski (Quaest. Quintilianeae. Diss. Berol. 1874 p. 33) Quintilianeam quoque comparationem (X, 1, 106 sq.) ad Caecilium revocavit. Haec vero ne cum nostra quidem artiore vinculo coniuncta est.

2) p. 974 sq. ed. Reisk.

3) p. 464 sq. *οὐχ οὕτως εὐτελῶς οὐδὲ ἀφελῶς, ὥσπερ Λυσίας, χρησάμενος αὐτῇ (τῇ στρογγύλῃ λέξει), ἀλλὰ περιέργως καὶ πικρῶς· λεγέσθω γὰρ ὡς ἐμοὶ φαίνεται.* et p. 592. *ἐμοὶ γοῦν οἱ μὲν Ἰσαίου τε καὶ Δημοσθένους λόγοι . . . . . ὕποπτοι δοκοῦσιν εἶναι τῆς πολλῆς ἐπιτεχνήσεως ἕνεκα· οἱ δὲ Ἰσοκράτους καὶ Λυσίου παντὸς μάλιστα δίκαιοί τε καὶ ἀληθεῖς.*

4) cf. p. 12 adn. 1.

ratione indolem nostram ad sublimitatem alere atque augere possimus [1]). Quae secuntur verba [2]) germanam spirant ironiam, qua is utitur, qui ingenii sui persuasione fretus hominem curiosum, sed in humilibus rebus infructuosisque laborantem deridet. Non igitur probandi qui ex his verbis efficere voluerunt Caecilium primum de illo argumento egisse. Atque idem illud studium exemplorum congerendorum duobus praeterea locis apparet, neque casu factum videtur quod utroque loco de vitiis sermonis agitur. Nam p. 14, 12 [3]) in vituperando Timaeo cum Caecilio scriptor consentit, et p. 49, 1 [4]) Theopompum contra illum defendit. Videmus igitur vitia imprimis sublimitati vicina exemplis illustrasse Caecilium. Id quod congruit cum loco sequenti p. 49, 13 [5]). Ibi enim vetuisse dicitur Caecilius nimium metaphorarum usum, cum adversarius etiam cumulari metaphoras recte saepius posse ostendat. Erat igitur Caecilius, quod ex sequentibus (cap. 32—36) etiam clarius elucet, incomptae mediocritatis patronus. Quin tantopere adamabat simplicitatem illam quam proprie Atticam appellare solebant, ut Lysiam anteponeret Platoni [6]). Nam quamvis hoc iudicium ex alio Caecilii

---

1) *τὸ συγγραμμάτιον . . . ταπεινότερον ἐφάνη τῆς ὅλης ὑποθέσεως καὶ ἥκιστα τῶν καιρίων ἐφαπτόμενον . . . . . , εἴγε . . . . . ποῖον μέν τι ὑπάρχει τὸ ὑψηλὸν διὰ μυρίων ὅσων ὡς ἀγνοοῦσι πειρᾶται δεικνύναι, τὸ δὲ δι' ὅτου τρόπου τὰς ἑαυτῶν φύσεις προάγειν ἰσχύοιμεν ἂν εἰς ποσὴν μεγέθους ἐπίδοσιν, οὐκ οἶδ' ὅπως ὡς οὐκ ἀναγκαῖον παρέλιπεν.*

2) *πλὴν ἴσως τουτονὶ μὲν τὸν ἄνδρα οὐχ οὕτως αἰτιᾶσθαι τῶν ἐκλελειμμένων, ὡς αὐτῆς τῆς ἐπινοίας καὶ σπουδῆς ἄξιον ἐπαινεῖν.*

3) cf. p. 5 adn. 4. Ad h. l. Ruhnkenius observavit inter frigida Timaei, quae posuisset Caecilius, sine dubio etiam illud fuisse, quod legeretur apud Plutarchum II, 717 C.

4) *τὸ τοῦ Θεοπόμπου . . . . . ὅπερ ὁ Καικίλιος οὐκ οἶδ' ὅπως καταμέμφεται.*

5) *περὶ δὲ πλήθους καὶ (τόλμης) μεταφορῶν ὁ μὲν Καικίλιος ἔοικε συγκατατίθεσθαι τοῖς δύο ἢ τὸ πλεῖστον τρεῖς ἐπὶ ταὐτοῦ νομοθετοῦσι τάττεσθαι.*

6) p. 53, 12. *τοῖς τοιούτοις ἐλαττώμασιν ἐπιχειρῶν ὅμως αὐτὸ Καικίλιος ἐν τοῖς ὑπὲρ Λυσίου συγγράμμασιν ἀπεθάρρησε τῷ παντὶ*

libro afferatur, tamen easdem res etiam in libello περὶ ὕψους tractatas fuisse cum ipsum argumentum suadet [1]), tum pluribus infra comprobabitur. Restat locus p. 17, 15—18, 23, quo docemur de affectibus non egisse Caecilium. Etiam figuras fuisse omissas quod putavit Blassius [2]), in eo viro vix credibile est, qui in figuris tractandis multam posuerat operam [3]). Accedit quod iam Theophrastus Dionysio teste [4]) sublimitatis in elocutione conspicuae eadem tria genera statuerat. Illud potius ex verbis minus apertis [5]) effici mihi videtur Caecilium omnino non

---

Λυσίαν ἀμείνω Πλάτωνος ἀποφήνασθαι κτλ. Copiam emendationum ad h. l. propositarum augere non audeo. Ceterum illa ὑπὲρ Λυσίου συγγράμματα quominus partem putemus libri de decem oratoribus scripti, nihil obstare videtur; neque laudo Burckhardtium de proprio libro σύγκρισις Λυσίου καὶ Πλάτωνος inscripto cogitantem (p. 14). — Haud parum abesse videntur ab hac Caecilii doctrina, quae attulit Photius p. 489 b 18: Καικίλιος δὲ ἁμαρτάνει εὑρετικὸν μὲν τὸν ἄνδρα (Λυσίαν), εἴπερ ἄλλον τινὰ συνομολογῶν, οἰκονομῆσαι δὲ τὰ εὑρεθέντα οὐχ οὕτως ἱκανόν. Atque haec a Photio ex Caecilii quidem libro repetita, sed falso intellecta esse coniecit Sauppius (Gött. gel. Anz. 1863 p. 1665): ipsum enim fortasse Caecilium contra Dionysium pugnassè, qui similia in Lysia vituperasset (p. 487). At in libro π. ὕ. de solis elocutionis virtutibus agitur, illa vero ad πραγματικὸν μέρος pertinent. Ipsa praeterea verba ὑπερβολῆς speciem apertissime prae se ferunt; cf. quae secuntur in p. 53 et quae ex contrario opponuntur p. 57, 12.

1) cf. p. 53, 27 ἔστι γὰρ ταῦτ' οἰκεῖα τοῖς περὶ ὕψους σκέμματα.

2) Die griechische Beredsamkeit von Alexander bis auf Augustus p. 202.

3) Ante libellum περὶ ὕψους Caecilium illum περὶ σχημάτων tractatum scripsisse suspicor, cuius copiis apte ad hunc gravioris argumenti librum uti potuerit. Praeterea quae de ipso περὶ ὕψους libello conicere possumus, ea omnia virum severi et exacti iudicii demonstrant, quod provectiori aetati magis conveniat. Morawski qui contrariam sententiam protulit (l. s. p. 46) tam hic quam alibi discrimina inter Caecilium eiusque adversarium conspicua neglexit.

4) p. 539 τῆς τ' ἐκλογῆς τῶν ὀνομάτων καὶ τῆς ἐκ τούτων ἁρμονίας καὶ τῶν περιλαμβανόντων αὐτὰ σχημάτων.

5) p. 18, 2 τῶν πέντε μορίων ὁ Καικίλιος ἔστιν ἃ παρέλιπεν ὡς καὶ τὸ πάθος ἀμέλει.

istam partitionem ex causis sublimitatis repetitam usurpasse, sed ad normam verae falsaeque sublimitatis quam praecipuam ei fuisse vidimus, distinxisse exempla atque auctores. Quo facto singulae sublimitatis causae sparsim obiterque tractabantur, ut iure dubitanter loqueretur adversarius.

Vidimus igitur Caecilium virum acri ingenio praeditum et artis criticae usu diuturno ad severitatem pronum falsam sublimitatem et artificiis quaesitam acerbe exagitasse praeque genuino candore plane contempsisse. Contra auctor noster elato ingenio ac paene iuvenili animi ardore ad singularem summorum virorum admirationem inflammatus prudentis illius viri inimicus exstitit et adversarius[1]). Didicimus praeterea praecepta dictionis ad sublimitatem conformandae neglecta esse a Caecilio. Haec duo quae certa sunt tamquam vinculum necessarium atque complementum tertium aliquid postulant. Cum enim studium sublimitatis condemnaret Caecilius, arte eam posse comparari negare debuit; neque aliter praecepta artis omittere potuit. Atque re vera haec ita disputasse Caecilium certo confirmari licet testimonio. Adversarius enim singula adortus est rationibus eorum et nexu neglectis, quo facilius carpere posset. Itaque ipsam illam sententiam qua praecepta facere ad promovendam sublimitatem negantur, capite secundo impugnavit[2]). Neque

---

1) Iam Dionysio similis lis erat, quem tamquam criticum superbum et fastidiosum increpabant ingeniorum admiratores amatoresve cf. epist. ad Pomp. et praeter alia p. 897: (si quis Thucydidem ex parte aliqua vituperet) *δυσχεραίνουσιν ὅμοιόν τε πάσχοντες τοῖς κεκρατημένοις ὑφ' οἵας δή τινος ὄψεως ἔρωτι μὴ πολὺ ἀπέχοντι μανίας κτλ.*

2) *ἡμῖν δ' ἐκεῖνο διαπορητέον ἐν ἀρχῇ, εἰ ἔστιν ὕψους τις τέχνη, ἐπεί τινες ὅλως οἴονται διηπατῆσθαι τοὺς τὰ τοιαῦτα ἄγοντας εἰς τεχνικὰ παραγγέλματα. γεννᾶται γάρ, φησί, τὰ μεγαλοφυῆ καὶ οὐ διδακτὰ παραγίνεται καὶ μία τέχνη πρὸς αὐτὰ τὸ πεφυκέναι· χείρω τε τὰ φυσικὰ ἔργα, ὡς οἴονται, καὶ τῷ παντὶ δειλότερα καθίσταται ταῖς τεχνολογίαις κατασκελετευόμενα.* — Quod sequitur discrimen inter naturae et artis vices (p. 11, 6 sqq.), similiter descripsit Dionysius p. 1100: *ἡ φύσις δημιουργός, αἱ τέχναι μητέρες.*

vero dubito, quin ad vocem *φησὶν* supplendum sit *ὁ Καικίλιος*, quod sponte sentiebant qui eius librum legerant. Vix enim ferendum *φησὶν* inter duo illa *οἴονται*, nisi statueris certi alicuius lectoribusque noti sententiam accuratius esse expressam[1]). Illum vero fuisse Caecilium, cui id ipsum iudicium adscribendum esse antea vidimus, nemo, opinor, negabit. Tenemus igitur disputandi ordinem, quo usus erat Caecilius, ipsiusque sententiolam ad verbum, ut videtur, descriptam.

Accedunt duo loci, quibus simili modo, postquam universa aliqua sententia tamquam ad plures pertinens expressa est, singularia eiusdem sensus verba ex certo scriptore subiciuntur. Et altero quidem[2]) prorsus eadem ratione pluralem *διαχλευά-*

1) Simili ratione ductus Schurzfleischius (in Animadv. ad Dion. Long. Vitembergae 1711 p. 8) excidisse nomen auctoris apophthegmate hoc usi suspicatus est. Qui quod de Pindaro cogitavit, missum faciamus. Sed ne quis obiciat fictum adversarium hoc loco induci quamquam adhibetur quidem *φησὶν* hoc sensu in disceptationibus, tamen id ipsum nisi apud inferioris aetatis scriptores non vidi. cf. Schweighaeuser. ad Epictet. Diss. I, 4, 9 et in indice p. 473. Nam exemplum Dionysianum (p. 753) necessario corrigendum est, cum in illa epistula ipsius Pompeii sententiae proponantur identidemque ipse compelletur. Similiter apud Romanos inquit occurrit, de quo usu cf. Gronov. ad Liv. XXXIV, 3. Bentleium ad Hor. Serm. I, 4, 9. Plane alia res est, si quod nostro loco factum esse censeo, apud *φησὶν* noti auctoris nomen cogitando supplendum est. Cuius rei reliqua exempla in libro nostro obvia infra tractabo (p. 19). Sed saepius haec duo genera confusa sunt a viris doctis, ut a Boissonadio ad Eunap. p. 418. — Ceterum nostro loco unum imprimis adversarium respici etiam verbis *ὁ τοῖς χρηστομαθοῦσιν ἐπιτιμῶν* (p. 12, 2) commendatur. Neque collato loco p. 47, 15 Manutium sequeris *φασὶ* scribentem. Omnino rarissime istae voculae corruptae sunt in nostro libello. Nam corrigendum quidem est *φησὶ* p. 52, 8 ex *φύσιν* et p. 52, 1, ubi *φασὶ* legitur in P: sed p. 68, 2 *φησὶν* defendo et ad philosophum ipsum refero, qui *τὸ θρυλούμενον* suo ipsius nomine explicat. Neque obstat, quod in illo capite *ἔφη* plerumque scriptum est; nam etiam v. 16 *φησὶ* recurrit, quo vividior fiat oratio.

2) p. 47, 15. *ὅθεν καὶ τὸν Πλάτωνα . . . . . διαχλευάζουσιν, ὡς*

ζουσιν sequitur φησίν, altero post διασύρουσιν p. 53, 4 scriptum quidem est φασί v. 10, cum proxime antecedat φησίν ad Platonem pertinens, sed tam singularia sunt verba [1]), ut appareat unius viri dictum esse relatum. Notus vero hic debuit esse lectoribus. Cum igitur, ut demonstravimus, Caecilium nominari necesse non fuerit, cavillationes vero istae Platonis cum eius ingenio optime congruant, haec quoque ad eum referenda esse censeo.

Restant nonnulla ex hac ipsa disputatione de magnorum ingeniorum vitiis repetenda. Proposito enim Caecilii iudicio de Lysia Platoni praeferendo generatim quaeritur cap. 33, πότερόν ποτε αἱ πλείους ἀρεταὶ τὸ πρωτεῖον ἐν λόγοις ἢ αἱ μείζους δικαίως ἂν φέροιντο [2]). Et respici quidem Caecilium in hac disquisitione patet dudumque est intellectum. Sed hic quoque certiora vestigia illius libri latere puto. Atque premere nolo in loco quem subscripsi [3]) verbis οὐκ ὀλίγα καὶ αὐτός tecte indicari non modo non pauca sed sescenta talia vituperasse Caecilium. ἁμαρτήματα vero ἑκούσια nego satis explicari posse, nisi Caecilii iudicium subiciamus. Illi erant voluntaria ea vitia, de quibus agitur, nimirum studio sublimitatis nata, cum adversarius non ex curiosa rerum novarum conquisitione, sed ex neglegentia quadam magnis condonanda ingeniis orta ea esse affirmet.

Cap. 34 ita impugnatur Caecilii sententia, ut si constare

εἰ πρόβατα, φησίν, ἐκώλυε κεκτῆσθαι, δῆλον ὅτι προβάτειον ἂν καὶ βόειον πλοῦτον ἔλεγεν.

1) νήφοντα γάρ, φασί, θεὸν τὸ ὕδωρ λέγειν, κόλασιν δὲ τὴν κρᾶσιν, ποιητοῦ τινος τῷ ὄντι οὐχὶ νήφοντός ἐστι.

2) Similia Caecilianis quae refelluntur iam Dionysius docuerat in iudicio de Thucyd. p. 815: κρατίστη δὲ (ἀνθρώπου φύσις) ἡ πλεῖστα μὲν ἐπιτυγχάνουσα, ἐλάχιστα δὲ ἀστοχοῦσα κτλ.

3) p. 54, 11 sqq. παρατεθειμένος δ' οὐκ ὀλίγα καὶ αὐτὸς ἁμαρτήματα καὶ Ὁμήρου καὶ τῶν ἄλλων, ... ὅμως δὲ οὐχ ἁμαρτήματα μᾶλλον αὐτὰ ἑκούσια καλῶν ἢ παροράματα δι' ἀμέλειαν εἰκῆ που καὶ ὡς ἔτυχεν ὑπὸ μεγαλοφυΐας ἀνεπιστάτως παρενηνεγμένα, οὐδὲν ἧττον οἶμαι κτλ.

sibi velit, etiam Hyperidem Demostheni praeponere debere coarguatur: hoc vero absurdum esse neque umquam factum; Lysiam vero multo etiam magis superari a Platone, quam Demosthenes praecellat Hyperidem [1]).

Claudit disputationem locus de colosso aliquo cum Polycliti doryphoro collato [2]), de quo quid sentiam accuratius exponendum videtur. Nam primis versibus *πρὸς — εἰπεῖν* necessario in eam inducimur opinionem, quasi scriptor colossum mendosum praeferendum censuerit laudatissimo illi doryphoro. Et ita re vera locum intellexerunt viri docti [3]). Hoc vero iudicium cum abhorret a sana ratione, tum sequentibus minime comprobatur. Totus enim est scriptor in discriminibus artium explicandis: artifici quidem summam legem esse accuratam singularum partium perpolitionem, oratori vero vel poetae, cuius opus ex ipsa natura ingenii profluat, laudi esse ante omnia sublimitatem, et in statuis quidem probari similitudinem hominis, in oratione vero quod excedat humana. Non igitur negatur colossum minoris esse faciendum quam doryphorum: negatur hoc exemplum recte transferri ad scriptorum comparationem. Sic enim saepius

---

1) In verbis p. 58, 24 *εἴ γε ἐκλέξας τὰ Ὁμήρου, τὰ Δημοσθένους, τὰ Πλάτωνος . . . . . παραπτώματα πάντα ὁμόσε συναθροίσειεν, ἐλάχιστον ἄν τι . . . . εὑρεθείη τῶν . . . . κατωρθωμένων* (*κατορθουμένων* P) obversari quidem scriptori Caecilii diligentiam in vitiis indagandis occupatam apparet. Sed forsitan ipsius etiam nomen ad *συναθροίσειεν* cogitatione supplendum sit. Hoc vero in medio relinquendum putavi, cum facillime *τὶς* vocula addatur.

2) p. 59, 7 *πρὸς μέντοι γε τὸν γράφοντα, ὡς ὁ κολοσσὸς ὁ ἡμαρτημένος οὐ κρείττων ἢ ὁ Πολυκλείτου δορυφόρος, παράκειται πρὸς πολλοῖς εἰπεῖν, ὅτι ἐπὶ μὲν τέχνης θαυμάζεται τὸ ακριβέστατον, ἐπὶ δὲ τῶν φυσικῶν ἔργων τὸ μέγεθος, φύσει δὲ λογικὸν ὁ ἄνθρωπος, κἀπὶ μὲν ἀνδριάντων ζητεῖται τὰ ὅμοιον ἀνθρώπῳ, ἐπὶ δὲ τοῦ λόγου τὸ ὑπεραῖρον . . . τὰ ἀνθρώπινα.*

3) cf. Buchenavium l. s. p. 40: »Pseudolonginus ... negans absolutissimum in parvulis dimensionibus Polycleti opus praestantius putandum esse quam statuam illam sqq.« Et similiter Blassius l. s. p. 192 adn. 1: »Der bekämpfte Gedanke *ὡς ὁ κολοσσὸς κτλ.*«

utebantur ad virtutes orationis illustrandas exemplis ex arte fingendi vel pingendi petitis. Caecilius igitur — nam eum esse *τὸν γράφοντα* multi viderunt[1]) — praeeunte Dionysio[2]) *τὴν ἀκρίβειαν τῆς τέχνης* qua artifices excellebant, scriptoribus imitandam proposuerat exemplo usus invicto, ut putabat, et indubitato. Haec qui legerant, ne primis quidem illis nostri scriptoris verbis in errorem induci poterant.

Quae adhuc tractavi omnia artissime conexa erant cum iis, quibus Caecilii nomen adpositum videbamus. Transeo ad res quae propriae sunt rhetorum, terminos dico rhetoricos atque exempla. Qua in re cum multae tractandae sint minutiae praefari iuvat quae ex singularum rerum collectione atque comparatione elucere mihi visum est. Atque primum scriptor noster minime parvi pendebat res rhetoricas, quamvis interdum hanc speciem induat, sed etiam in his subtilitatibus propriam secutus est viam. Deinde sumebat quidem exempla a Caecilio breviter quae probarat perstringens, sed saepius, quod mutuatus erat exemplum, luculenta aliqua interpretatione ita exornavit, ut novi aliquid de suo adderet, aut aliam in eo virtutem laudavit, atque quae Caecilio placuerat. Id denique maxime ei erat propositum, ut adversarii librum omni ex parte vinceret eique quasi tenebras suo fulgore obduceret; itaque attigit tantum vel omisit quae superare se posse non sperabat, recepit vero, in quibus superiorem se futurum confidebat.

Atque haec ut intellegerem, magno usui erant quae de figuris disputantur cap. 16—29. Nam alii quoque qui de figuris scripsere Quintilianus, Tiberius, Alexander[3]), Phoebammon Cae-

1) Sic Blassius l. s. et Iahnius in Hermae vol. II, p. 239.

2) p. 209 *πολύ τε γὰρ μᾶλλον ἐμοὶ δοκεῖ προσήκειν ἀνδρὶ κατασκευάζοντι λόγους πολιτικοὺς . . . . μηδενὸς τῶν ἐλαχίστων ὀλιγωρεῖν, ἢ ζωγράφων τε καὶ τορευτῶν παισὶν . . . . . περὶ τὰ φλέβια καὶ τὰ πτίλα καὶ τὸν χνοῦν καὶ τὰς τοιαύτας μικρολογίας κατατρίβειν τῆς τέχνης τὴν ἀκρίβειαν.* cf. similem locum p. 1114.

3) De Alexandri *περὶ σχημάτων* tractatu (III, 7. Sp.), qui ex genuino Alexandri Numenii libro excerptus est, cf. Steusloffii Dissert. Vratisl. 1861.

cilianae doctrinae frustula servaverunt[1]). Itaque statim initio cap. 16 scriptor tacite sequitur Caecilianam figurae definitionem[2]). In distinguendis vero figuris ita a Caecilio ceterisque quos novimus omnibus discessit, ut pro *διανοίας* diceret *νοήσεως*, quae vox proprius abesset a *λέξεως*[3]). Sed ipsum discrimen, quantum quidem iudicare possumus, accurate observavit; nam ante lacunam p. 39 *νοήσεως*, postea *λέξεως* tantum *σχήματα* tractantur. Eadem deinde qua Caecilius ratione tropos distinxit a figuris; nam etiam *ὑπερβατὸν* et *περίφρασιν* quamquam ipse inter tropos collocavit (VIII, 6, 59. 62), a Caecilio figuris adnumerata fuisse testatur Quintilianus (IX, 3, 91. 98).

Sed videamus singula. Atque cap. 16 et 17 *τοῦ ὁμοτικοῦ σχήματος* exemplum Demosthenicum[4]) cum insigni diligentia explicatur. Cum enim idem similiter adhibitum apud Caecilium legeretur, interpretatione erat exornandum. Illud vero elucet ex comparatione Tiberii, a quo similiter *τὸ τοῦ ὅρκου σχῆμα* hoc exemplo illustratur.

---

1) De hac ipsa quaestione post Burckhardtium (p. 17 sqq.) docte nuper disseruit Morawski in Quaest. Quint. p. 44 sqq. Nunc ea tantum tractanda sunt, quae ad librum nostrum pertinent, in quibus Morawskium eo errasse dixi (p. 8 adn. 3), quod nullam inter Caecilium et nostrum scriptorem differentiam constituerit. Quintilianus, Tiberius, ceteri sine dubio Caecilii de figuris tractatum sequebantur: sed non mirum multa illi cum libro de sublimitate fuisse communia.

2) p. 36, 15 *τίς δ' ἦν ἡ κατὰ φύσιν χρῆσις αὐτῆς;* cf. p. 41, 23. Phoeb. III, 44, 7 Sp. *Καικίλιος δὲ ὁ Καλακτίτης ὡρίσατο οὕτω, σχῆμά ἐστι τροπὴ εἰς τὸ μὴ κατὰ φύσιν τὸ τῆς διανοίας καὶ λέξεως.* Ceterum manca haec definitio supplenda est ex Tib. p. 59, 6 *τὸ μὴ κατὰ φύσιν τὸν νοῦν ἐκφέρειν μηδὲ ἐπ' εὐθείας, ἀλλ' ἐκτρέπειν καὶ ἐξαλλάσσειν τὴν διάνοιαν κόσμου τινὸς τῇ πλάσει ἢ χρείας ἕνεκα κτλ.* quocum consentit Quint. (IX, 1, 11): in sensu vel sermone aliqua a vulgari et simplici specie cum ratione mutatio. cf. Burckhardtium, qui (p. 18 sq.) suo iure totam hanc Quintiliani disputationem (§ 10—14) ad Caecilium revocavit.

3) p. 17, 22 *διττὰ δέ που ταῦτα τὰ μὲν νοήσεως, θάτερα δὲ λέξεως.*

4) de cor. 208 . . , *οὐκ ἔστιν ὅπως ἡμάρτετε . . . . μὰ τοὺς Μαραθῶνι προκινδυνεύσαντας κτλ.*

(Tib. III, 69 Sp.) . . . τινὲς δέ φασι τοῦτο παράδειγμα εἶναι „οὐ γὰρ ἡμάρτετε . . . . κίνδυνον ἀράμενοι, ὥσπερ οὐδὲ οἱ ἐν Μαραθῶνι προκινδυνεύσαντες.“ καὶ γάρ ἐστιν ὅμοιον .... τὸ μὲν οὖν πρᾶγμα παράδειγμα ἐποίησεν, ἀντὶ δὲ τοῦ εὐθέως εἰπεῖν ἐσχημάτισεν, πρός τε τὸ λαμπρὸν ἅμα καὶ τὸ ἀξιόπιστον εἰς ὅρκου φαντασίαν μεταβάλλων.

(περὶ ὕψους p. 36, 15). . . τίς δ' ἦν ἡ κατὰ φύσιν χρῆσις αὐτῆς (τῆς ἀποδείξεως); „οὐχ ἡμάρτετε . . . . οὐδὲ γὰρ οἱ ἐν Μαραθῶνι ἥμαρτον . . . . . .“ ἀλλ' ἐπειδὴ καθάπερ ἐμπνευσθεὶς . . . . τὸν ὅρκον ἐξεφώνησεν . . . ., φαίνεται (διὰ τοῦ σχήματος) . . . τὴν τῆς ἀποδείξεως φύσιν μεθεστακὼς εἰς ὑπερβάλλον ὕψος καὶ πάθος καὶ ξένων καὶ ὑπερφυῶν ὅρκων ἀξιοπιστίαν . . .

Prorsus similem vides apud utrumque disputandi rationem, cuius summa est Demosthenem quod reapse esset exemplum, in iuris iurandi formam redegisse [1]). Dubium igitur non est Tiberium hoc quoque loco descripsisse Caeciliana; quod saepius eum fecisse ab ipso discimus. Scriptor vera noster et magnifico verborum ornatu ea amplificavit neque omni ex parte adstipulatus est Caecilio. Nam verbis (p. 36, 22) δι' ἑνὸς τοῦ ὁμοτικοῦ [2]) σχήματος, ὅπερ ἐνθάδε ἀποστροφὴν ἐγὼ καλῶ pro certo habeo Caecilium impugnari, qui Tiberio teste nihil nisi ὅρκου σχῆμα vidit in illo loco. Neque causa huius differentiae latet. Cum enim ἀποστροφὴ ita fieret, ut ab eo apud quem res ageretur, ad alium sermo deflecteretur [3]), hoc Caecilio simplici iure iurando factum non videbatur; et re vera in nostro exemplo omnia ad Athenienses dicta sunt. Attamen scriptori nostro explicatiore illo iure iurando plane ab inferis excitati videbantur Atheniensium maiores, ut invocationis speciem veramque ἀποστροφὴν agno-

---

1) Similia de illo loco Demosthenis docuit Hermogenes (II, 306 Sp.), is quoque sine dubio Caecilium secutus.

2) Verba τοῦ ὁμοτικοῦ contra Wilamowitzium (in Hermae vol. X p. 338) defenduntur et Tiberii comparatione supra proposita et voce quae sequitur ἐνθάδε.

3) cf. Quint. IX, 2, 38. Tib. 61, 29.

sceret. Atque in sequentibus quoque quae contra Eupolidis locum cum Demosthenico comparatum p. 37, 10 sqq. disputantur, contra Caecilium dicta esse verissime coniecit Wilamowitz (p. 338).

Disputationem de interrogationibus, qua in nostra quaestione nihil adiuvamur, lacuna sequitur in qua praeter ἀσύνδετον sine dubio διατύπωσις et ἀναφορά tractatae erant [1]). Deinde p. 40 exemplum Demosthenicum fusius explicatur ut trium figurarum coniunctione insigne, quo loco iam Caecilius similiter usus esse videtur [2]). Porro p. 42, 28 quattuor figurae tantum modo no-

---

1) Indicatur hoc verbis p. 40, 12. Etiam πολυσύνδετον in illa lacuna tractatum fuisse conicio; non enim video, quam aliam virtutem laudare potuerit in exemplo Platonico, quod alio iam loco se adposuisse dicit scriptor p. 43, 19. Atque in tempore usurpatam etiam hanc figuram ad sublimitatem facere docent Demetr. §. 54. Hermog. II, 435 sq.

2) Apud Tiberium idem locus exemplum est et ἐπαναφορᾶς (p. 72, 28) et ἀσυνδέτου (p. 78, 2) figurarum saepius coniunctarum. Sed etiam διατύπωσιν in eo laudasse videtur Caecilius. Quod non quidem probatur comparato loco artis Seguerianae (I, 440, 20 Sp.), ut visum est Morawskio (p. 36); nam ἐνάργεια quae ibi explicatur, Caecilio non erat figura, sed virtus multis figuris communis. Sed in scholiis Demosthenis (p. 573 D.) ad illum locum non solum ἐπαναφορά et ἀσύνδετον occurrunt, sed etiam διατύπωσις ipsa notatur, ita ut in illo scholio ipsius Caecilii vestigia apparere videantur. Accedit quod definitio διατυπώσεως, quam Tiberius (p. 79) nominatim adscribit Caecilio, plane exemplo nostro convenit. Data occasione animadverto hanc Caecilii disputationem de tribus διατυπώσεως definitionibus eodem ordine recurrere apud Quintilianum.

Tib. p. 79	Quint. IX, 2, 40
ὑπομιμνήσκει τῶν γεγενημένων ἐνεργειῶν [καὶ] ἑκάστων ἐξαριθμουμένων τῶν μερῶν	res ut sit gesta ostenditur nec universa sed per partis
ἐπὶ τὴν θέαν ἄγει τῶν οὐχ ἑωραμένων	forma rerum ita expressa verbis, ut cerni potius videantur quam audiri
ὅταν τὰ μὴ γεγονότα διατυπού-	nec solum quae facta sint aut

minantur ea procul dubio causa, quod tam accurate tractatae erant a Caecilio, ut in hac re certare cum illo supersederit aemulus [1]). Secuntur ἐναλλάξεις, quae Caecilio ἀλλοιώσεις audiebant. Tiberius enim in hac quoque re diserte Caecilium laudat (p. 80), cum eoque in multis congruit Alexander (p. 33). Qua re quae in libro π. ὕ. ab illis discrepant, nostro scriptori propria fuisse censeo. Atque partitionem harum figurarum melius videtur instituisse. Nam cum Caecilius etiam numeros nominum mutatos ad ἀλλοιώσεις κατ' ὀνόματα referret, hanc classem ex parte confudit cum ἀριθμῶν mutationibus. Itaque in nostro libello non ὀνομάτων sed γενῶν ἐναλλάξεις occurrunt, et idem exemplum quod Caecilius nominum mutationibus adhibuerat [2]), ἀριθμῶν ἐναλλάξεις illustrat (p. 44, 2). Atque in his ipsis altera differentia cernitur. Reiciuntur enim (p. 43, 1) ut minoris momenti ea exempla, in quibus voces singulares vim exercent pluralium: magis notatu esse dignum, si forma plurali res singularis extollatur (p. 43, 6). Alterum igitur copiose tractasse [3]), alterum neglexisse putandus est Caecilius. Et in exemplis, quae nobis servata sunt apud Tiberium et Alexandrum, solum prius

---

μενοι εἰσάγωμεν καθ' ὑπόθεσιν οἷον τί ἂν ἐγένετο καὶ τί ἂν ἐπράχθη. | fiant, sed etiam quae futura sint aut futura fuerint imaginamur.

Non recte igitur Morawski p. 56 et 62 statuit in sententiarum figuris tractandis nihil Caecilio debere Quintilianum. Nisi quod h. l. fortasse non ipsum Caecilium evolvit, sed apud Celsum quem nominat Caeciliana invenit.

1) τά γε μὴν πολύπτωτα λεγόμενα κἀθροισμοὶ καὶ μεταβολαὶ καὶ κλίμακες κτλ. — ἀθροισμοὶ P, κ addidi; nam diversae illae figurae sunt omnes itaque singillatim notatae alio ordine in margine codicis. Ne longus sim, locos idoneos indicabo, quibus simul Caecilium haec tractasse perspicietur. Sp. III, 17, 13. 34, 23 sqq. 76, 30. 72, 6. Quint. IX, 3, 37 sq. 55 cf. Morawski p. 52 sqq.

2) p. 33, 24 et similia exempla leguntur apud Tiberium p. 80, 24.

3) Etiam exemplum ignoti auctoris, quo uno prior usus illustratur, aliam ob causam Caecilio adscribetur p. 19.

illud genus conspicitur [1]. In reliquo de figuris tractatu nihil adnotandum est, nisi quod duo exempla a Caecilio recepisse videtur, unum ad personarum mutationem pertinens, alterum ad periphrasin [2].

Transeo ad exemplum e genesi sumptum [3], quod multi e Caecilii libro repetivere. Nam suspicionem de interpolatione huius loci ne Spengelii [4] quidem patrocinium tutari potest. Neque enim sententiarum ordo turbatur, cum claudantur hoc exemplo exempla de diis rebusque divinis prolata, et ipsa testatio minime accurata Christianum vel Iudaeum auctorem respuit. Accedit quod singula fere verba plane ex more nostri scriptoris scripta sunt. Caecilium vero Iudaicae fuisse originis Suidae testimonio credendum est [5]. Ex eius igitur libro commode trans-

---

1) p. 34, 9. 80, 29, ubi legendum cum Meinekio in Eupolidis versu: *ποθοῦμεν ἢ*.

2) cf. *π. ὕ.* p. 46, 2 cum Sp. III, 33, 28. 80, 31. et *π. ὕ.* 47, 11 cum Sp. 76, 10. — Quae de periphrasi attulit Tiberius p. 76. 3, optime indicant cautum Caecilii ingenium: *ταῖς δὲ περιφράσεσι σπανίως χρῶνται οἱ πολιτικοί, πλεονάζει δὲ ἐν αὐταῖς ὁ Θουκυδίδης καὶ ὁ Πλάτων καὶ οἱ ποιηταί.*

3) p. 22, 4, qui locus a vitiosa interpunctione vindicandus est: *ταύτῃ καὶ ὁ τῶν Ἰουδαίων θεσμοθέτης οὐχ ὁ τυχὼν ἀνήρ, ἐπειδὴ τὴν τοῦ θείου δύναμιν κατὰ τὴν ἀξίαν ἐχώρησε κἀξέφηνεν εὐθὺς ἐν τῇ εἰσβολῇ γράψας τῶν νόμων· »εἶπεν ὁ θεός«, φησί· τί; »γενέσθω φῶς, καὶ ἐγένετο· γενέσθω γῆ, καὶ ἐγένετο«.* Nam qui post *θεσμοθέτης* et post *κἀξέφηνεν* interpungebant, — ut taceam de vitioso participio aoristi *γράψας* — etiam multo magis offendebantur honorifica Mosis appellatione. Meam vero si sequeris interpunctionem, epitheton illud *οὐχ ὁ τυχὼν ἀνήρ* non in universum, sed ob hanc ipsam dei praedicationem ei adtribuitur. — *φησὶν* abundat, ut p. 38, 2 cf. Heindorf. ad Plat. Charm. 164 E. *τί* ad *εἶπεν* referendum est.

4) Specimen emendationum in Tacitum. München, 1852. p. 7.

5) — *καὶ ἀπὸ δούλων, ὥς τινες ἱστορήκασι, καὶ πρότερον μὲν καλούμενος Ἀρχάγαθος, τὴν δὲ δόξαν Ἰουδαῖος.* Certe nullam video causam, cur commutatum eum esse putemus cum Caecilio Nigro Ciceronis in accusando Verre aemulo. Nam hic quoque non quidem aperte Iudaicam professus est fidem, sed *ἔνοχος* fuit *τῷ ἰουδαΐζειν* (Plut.

ferre potuit exemplum hic scriptor, cui vitium quoque verborum male relatorum imputandum erit. Certe notitia ista et usus rerum Iudaicarum Caecilii tempore nihil habet quod mireris [1].

Supra iam dixi ea imprimis quae leviter perstringuntur, apud Caecilium fusius fuisse explicata. Quod in ea exempla cadere puto, quibus tamquam nota debeant esse omnibus, ne auctoris quidem nomen additum est. Non quidem ea dico, quorum auctor ipsis verbis aperte declaratur (ut p. 39, 5. 40, 11), neque Homeri nomen omissum (15, 13. 44, 20. 45, 6. 12) ullo modo offendit. Sed bis *φησὶν* legitur (35, 17. 44, 3), ubi Demosthenes intellegendus est, semel Herodoteo exemplo (44, 3) nullum additum est verbum. Accedunt duo loci (43, 3. 17), quorum auctorem investigare omnino nequimus. Haec omnia per Caecilium nota fuisse lectoribus conicio. Atque idem factum videtur p. 59, 23 [2]), ubi locus orationis de Halonneso inscriptae cursim vituperatur. Hanc vero orationem pro spuria habuisse eundemque locum cuius prava et nimia hyperbole a nostro scriptore damnatur, graviter reprehendisse Caecilium ex Libanii verbis probabiliter coniectum est [3].

Aliter p. 62, 21 usus est scriptor Caeciliano exemplo. Nam quae supra disputavi qui probaverit, ex verbis infra descriptis [4] effici concedet Caecilium sententiae sublimitatem laudasse in loco Demosthenis [5]. Quod non quidem improbat

---

Cic. cap. 7). Cumque ex Sicilia oriundus dicatur uterque (Cic. div. in Caec. 39), eiusdem familiae fuisse videntur.

1) cf. Freudenthal, Hellenistische Studien, Heft 1 u. 2. Breslau 1875. p. 177 sqq.

2) . . . . *στοι καὶ αἱ τοιαῦται· »εἰ μὴ τὸν ἐγκέφαλον ἐν ταῖς πτέρναις καταπεπατημένον φορεῖτε«. διόπερ εἰδέναι χρὴ τὸ μέχρι τοῦ παροριστέον ἕκαστον.*

3) cf. Burckhardtium l. s. p. 34 sq.

4) *ὑψηλόν γέ που δοκεῖ* (sic Reiske, *γε τοῦ δοκεῖν* P) *νόημα καὶ ἔστι τῷ ὄντι θαυμάσιον . . . . . ἀλλ' αὐτῆς τῆς διανοίας οὐκ ἔλαττον τῇ ἁρμονίᾳ πεφώνηται.*

5) Idem Hermogenes fecit (II 305 sq.), quem secutus est Anonymus de figuris (III 145). *εἰκασίας* exemplum est apud Demetrium §. 273.

adversarius, sed ipse compositionis potius vim laudibus effert et explicatione demonstrat.

Iam inter eos artium scriptores quorum *αὐξήσεως* definitio [1]) p. 29, 4 confutatur, Caecilium quoque referendum esse per se est probabile. Accedit quod eadem definitio legitur in arte Anonymi Segueriani [2]), cuius primarius auctor fuit Alexander Numenius. Hunc enim in tractatu de figuris usum esse Caecilio certum est. Atque etiam in arte sua Caecilii exemplum eum secutum esse, quod ex Quintiliani comparatione efficere studuit Morawski (p. 37 sqq.), nostro loco comprobatur.

Transeo ad locum p. 32, 14: *ὄγκου . . . . καὶ αἱ φαντασίαι παρασκευαστικώταται· οὕτω γοῦν εἰδωλοποιΐας αὐτὰς ἔνιοι λέγουσι.* Atque Wyttenbachius *οὕτως* „eleganter abundare" putavit [3]), ut sit sensus: *φαντασίαι* quas nonnulli *εἰδωλοποιΐας* vocant. Sed neglexit vim vocis *γοῦν*, qua efficitur ut *οὕτω* necessario ad *φαντασίαι* referatur. Alii igitur *αὐτὰς* deleri vel *τὰς* ante *εἰδωλοποιΐας* addi iusserunt. Quo facto vocem *φαντασία* usurpasse pro *εἰδωλοποιΐα* dicuntur *ἔνιοι*. At sequitur exposita significatione vocis *φαντασία* in vita communi (*κοινῶς*) obtinente : *ἤδη δ' ἐπὶ τούτων κεκράτηκε τοὔνομα ὅταν ἃ λέγεις κτλ.* Quod vero *ἔνιοι* faciunt, idem *κεκρατηκέναι* dici nequit. Apparet sententiam, quam Wyttenbachius posuit, unice veram esse. Haec vero solis verbis *εἰδωλοποιΐας αὐτὰς ἔνιοι λέγουσι* inest, quibuscum *οὕτω γοῦν* coniungi nequeunt. Aut igitur haec verba corrupta sunt, aut quod verius puto, post *γοῦν* versus intercidit hoc fere sensu:

---

1) *λόγος μέγεθος περιτιθεὶς τοῖς ὑποκειμένοις.*

2) *λόγος μεῖζον ποιῶν φαίνεσθαι τὸ πρᾶγμα.* I, 457, 5.

3) cf. Bibl. Crit. I pars 3 p. 47. quod repetit Schaefer Melet. Crit. p. 81. Sed dubito num umquam, si participia excipias (cf. Schaefer. p. 14), verbis dicendi abundanter additum sit *οὕτως*. Nam etiam in Wyttenbachii exemplis hac voce aperte ad antecedentia respicitur, ut apud Plutarchum (II 480 F): . . . *ἃς ὁμοῦ δι' εὔνοιαν ἀεὶ καὶ φιλαδελφίαν οὔσας, οὕτως ὠνόμαζον Μούσας.* et apud Aristidem (I 239) *ἔοικεν (ἡ πόλις) εἶναι τῶν θεῶν ἱερά, ὥσπερ ἣν καλοῦσιν οὕτως ἀγοράν.* cf. Hesychium *θεῶν ἀγορά· τόπος Ἀθήνησιν.*

οὕτω γοῦν ἐγώ φημι καίτοιγ' εἰδὼς ὅτι εἰδωλοποιΐας αὐτὰς ἔνιοι λέγουσι. εἰδωλοποιΐαν igitur illi alteri termino praetulisse Caecilium crediderim, quamvis testimonium aliunde non suppetat. Nostro certe scriptori non placuit illud vocabulum nisi de hominibus ab inferis excitatis adhibitum (cf. p. 35, 1), quocum consentiunt progymnasmatum scriptores (II 15, 14. 44, 28); sed alterius usus non desunt vestigia (cf. III 108, 21. 241, 10).

Iam agmen claudat locus p. 32, 10 [1]), quem vitiosum iudicavit Wilamowitz [2]). Atque recte quidem dixit timere illum, de quo loquitur scriptor, „ne quid proferat saeculo suo parum conveniens." Sed hoc, quod solum respondet sequentibus, ipsis verbis traditis inesse censeo. Non enim necessario τοῦ ἰδίου βίου καὶ χρόνου ὑπερήμερον id dicitur „quod aetatem sibi concessam transgressum est". Nam ut plerumque de eo adhibetur ὑπερήμερον, quod suum agendi tempus praetermisit, ita etiam id esse potest, cuius tempus incipit alius tempore praeterlapso. Conferas velim similem Luciani locum (Hermot. cap. 67) ὑπερεξέπιπτες ἀπομηκύνων τὸ πρᾶγμα ἐς γενεὰς ἄλλας, ὡς ὑπερήμερον γίνεσθαι τἀληθὲς τοῖ ἑκάστου βίου : τὸ ἀληθές quod quaeritur a philosophis maius est, quam quod capiat unius vita, ita ut posteris demum eius copia contingere possit. Sic me iudice nostro quoque loco quod neglecto sui temporis usu posteritatis vicem quasi anticipat, id est, quod vitandum videtur homini illi cauto timidoque. Quae anxietas tam acerbe exagitata est, ut certum scriptorem respici persuasum mihi sit. Cum igitur Caecilii ingenio supra descripto optime illud ipsum conveniat, modestam illius sententiolam, qua suae se aetatis utilitatem unice spectare professus sit, maligne explodi hoc loco conicio. Non igitur cum Wilamowitzio de aliquo „Asiani generis vel certe κοινῆς defensore" cogitabis. Nam de Asiano genere scriptori nostro plane

1) εἰ δέ τις αὐτόθεν φοβοῖτο, μὴ τοῦ ἰδίου βίου καὶ χρόνου φθέγξαιτό τι ὑπερήμερον, ἀνάγκη καὶ τὰ συλλαμβανόμενα ὑπὸ τῆς τούτου ψυχῆς ἀτελῆ καὶ τυφλὰ ὥσπερ ἀμβλοῦσθαι πρὸς τὸν τῆς ὑστεροφημίας ὅλως μὴ τελεσφορούμενα χρόνον.

2) l. s. p. 340. Coniecit ille ὑπερηρμένον pro ὑπερήμερον.

convenit cum Caecilio [1]; negavit vero primas deberi plano illi politoque generi dicendi, quod in Lysia admirabantur vereque Atticum putabant.

II. De aetate scriptoris περὶ ὕψους incerti.

Mirum sane est ne hodie quidem exstirpatam esse futilem illam opinionem de Longino libri περὶ ὕψους auctore [2]. Cum enim neque librorum auctoritate defendatur et ipsius libri indole plane excludatur, nihil huic viro favet nisi priorum temporum consuetudo. Nam inscriptio illa Διονυσίου ἢ Λογγίνου [3] ab eo solo profecta esse potest, qui nihil noverat de auctore, sed ne sine nomine iaceret liber, inter duos eligendi fecit potestatem, quos summa laude in his litteris floruisse [4] et similia tractasse [5] sciebat. Neque, opinor, ad rem

1) cf. praeter cap. III p. 16, 6 et 35, 8.

2) Ut exemplo utar, qui novissime dedita opera de hac quaestione egit, Iohannes Canna in praefatione versionis Italae (Florentiae 1871) Longini nomen retinendum putat, donec certius testimonium ex vetustiore libro prolatum sit (p. 40 sq.). Quod vero Spengelium quoque et Iahnium de Longino dubitare dicit (p. 63), hoc verum non est. Nam de Longino reiciendo convenit inter eos (cf. praef. editionum), dubitant de vero auctore. Atque hanc ipsam dubitationem vulgo ferre nequeunt, quae antiquitus multis libris causa exstitit ementitae inscriptionis.

3) Aureum illud ἢ solo in indice codicis P servatum est, quo factum, ut tam diu lateret. Nam in ipsa fronte libelli non apparet nisi in cod. vat. 285 (a apud Iahnium audit), quo usus est Amati. Sed in eo quoque alio atramento postea interposita est particula, quod vidit H. de Rohden, cuius officiosae amicitiae omnia debeo quae de illo codice comperi.

4) cf. Cramer anecd. Oxon. III 159, 4, quem locum indicavit Usener in mus. rhen. vol. XXVIII p. 412.

5) cf. Wilamowitz. in Hermae vol. X p. 334.

facit, quod Ioannes Siceliota (VI 211 W.) genesis locum in capite IX tractatum apud Longinum quoque reperiri testatur, praesertim cum codex antiquissimus nostri libelli tribus fere saeculis sit vetustior [1]). Nam quod locum Aeschyleum in capite III explicatum idem adscribit Longino (VI 225), id ex XXI° vol. τῶν φιλολόγων repetit. At exstiterunt qui partem huius operis fuisse librum π. ὕ. hariolarentur. Hoc refugium erat ultimum eorum, qui mordicus tenebant sententiam consuetudine inveteratam. Neque inter eos fuit Ruhnkenius, quem Buchenau huius suspicionis auctorem falso nominavit [2]) aliique eum secuti [3]). Illis enim temporibus necesse nondum fuit pugnare pro Longino [4]). Ipse vero liber Longinum auctorem ita totus aversatur, ut pudeat detecta demum ab Amatio inscriptione verum esse repertum. Quin egregium illud Ruhnkenii inventum, quo Longini artem rhetoricam ab Apsinis arte segregavit, aliquatenus eo obscuratur, quod Longini, hoc est scriptoris π. ὕ., scribendi genus se in illo fragmento deprehendisse professus est [5]). Neque dubito, quin eam ipsam ob causam edendi illius fragmenti consilium abiecerit, quod, cum postea libro

---

1) Abusi sunt Ioannis testimonio Bakius (Apsinis et Longini rhetorica, prol. p. L) atque etiam magis Eggerus (histoire de la critique chez les Grecs p. 531 sqq.).

2) De scriptore libri π. ὕ. p. 25, ubi ipsa Ruhnkenii verba (ex §. X dissertationis de vita et scriptis Longini) transcripta sunt, quibus nihil inest, quo illa sententia indicetur. Sola τὰ περὶ Ξενοφῶντος (p. 17, 19) partem ille τῶν φιλολόγων esse voluit.

3) cf. Winklerum in diss. de libello π. ὕ. a. 1870 Halis edita p. 15, qui nihil profecit in quaestione de tempore solvenda, sed cogitavit de Neronis temporibus p. 34.

4) Primus, quod sciam, in illam sententiam abiit censor editionis Weiskianae (Cl. Slm. in annal. litt. Ien. 1810 No. 70).

5) cf. eius verba apud Bakium l. s. p. XIII: »J'y reconnus non seulement la marche de Longin, mais plusieurs expressions qui lui sont particulières.« Tum demum de loco agit illius artis sub Longini nomine laudato in scholiis Hermogenis.

de sublimitate assiduam impendisset operam[1]), toto eum caelo ab illa arida doctrina abesse cognovit.

Postquam igitur Amatii inventum in editione Weiskiana anno h. s. IX publici factum est iuris, spuriae originis undique apparebant indicia. Atque multi cum a spe Longini tuendi essent depulsi, alterum nomen amplexi omnes undique Dionysios convocabant, inter quos optio daretur[2]). Quin Vancherus confidenter edidit *Πλουτάρχου τοῦ περὶ χαρακτήρων βιβλίου σύνταγμα τὸ περὶ ὕψους*[3]). Melius de re meriti sunt, qui misso auctoris investigandi studio ipsam aetatem accuratius definire studebant[4]). Sed ne acta agam, quae illi et ad veterem opinionem pervertendam et ad verius iudicium stabiliendum attulere, non repetam[5]). Nam primo p. C. n. saeculo ita eorum opera ‚vin-

---

1) Postquam enim anno 1765 illa de arte Longini protulit Ruhnkenius, anno 1776 demum dissertationem edidit de Longino et biennio post in editione Toupiana emendationes in Longinum. Etiam amici Ruhnkenii diffidebant eius coniecturae (cf. apud Bakium p. XXX: »il nous semble que nous n'y retrouvons pas l'auteur du traité du Sublime«) et ipse Valckenarius plane dissentiebat (p. XXXIV sqq.: »haec sane miror ab hoc ingenio profecta«, alia similia).

2) Amati proposuit Dionysium Halicarnassensem p. 213 sqq., ipse Weiskius Dionysium Atticum »ut minus notum scriptorem« p. 218, Eggerus commendabat Aelium Dionysium in ed. Paris. 1837 p. LVI.

3) In libro études critiques sur le traité du Sublime et sur les écrits de Longin. 1854.

4) Roeper in philologi vol. I. p. 630 et imprimis Buchenau in dissertatione saepius iam laudata, qui falsus quidem est in ipso tempore terminando, sed undique conquisitis argumentis praeter ceteros de hac quaestione optime meruit.

5) Unum addere mihi liceat, quod unum sufficit ad profligandam Longini auctoritatem. p. 67, 19 philosophi alicuius sermo his verbis inducitur: *ὅπερ ἐζήτησέ τις τῶν φιλοσόφων διασαφῆσαι πρὸς ἐμὲ ἔναγχος* (*διασαφῆσαι* ex versu antecedente transposui), unde clare apparere puto qui hoc scripserit ipsum non fuisse philosophum. Quamvis autem Plotini iudicio fuerit *φιλόλογος μὲν ὁ Λογγῖνος, φιλόσοφος δὲ οὐδαμῶς* (cf. Porphyrium in vita Plotini cap. 14), tamen

dicatus est liber, ut contra dici nequeat. Ita potius aliqua ex parte rem promovere me posse spero, si refutatis quae non recte videantur adhibuisse priores, ea accuratius exponam, quibus certam primi saeculi partem iudicari putem. Scio equidem multa sola verisimilitudine probari. Sed cum haec omnia unam aetatem maxime commendent, coniuncta verisimilitudimis speciem paene excedunt, neque credibile est felici aliquo invento — Terentiani, ut hoc exemplo utar, ad quem data est epistula, memoria e titulis instaurata — non eandem hanc aetatem adsignatum iri libello.

Atque operam perdere eos qui, ut tempus libelli definiant, colossum illum qui fuerit decernere studeant, cum a Caecilii libro repetita sit eius mentio, ex supra dictis elucet (p. 12). Quod idem cadere in locum genesis vidimus (p. 18). Neque Pythiae commemoratione (p. 31, 1) iuvamur[1]. Quid enim refert ad comparationem instituendam inter divinum afflatum quo instigabatur sacerdos, et motum animorum a magni ingenii admiratione profectum, utrum eo ipso tempore omni honore floruerit sancta oraculorum sedes necne?

De pumilionibus vero p. 68, 16 commemoratis multa et idonea congessit Buchenau (p. 47 sqq.), quibus apparet eorum usum primis coeptum imperatorum temporibus sub finem demum primi saeculi maiora cepisse incrementa. Cum igitur verba quae adduntur εἴ γε τοῦτο πιστὸν ἀκούω recte ita intellegantur, ut in ipsis initiis tum fuerit illius moris crudelitas et lascivia, non quidem Buchenavii opinio de aetate Vespasiani illo loco sustinetur, sed ad multo priorem primi saeculi partem remittimur.

ipse philosophus sibi quam maxime videbatur, cuius rei testimonia habes apud Ruhnkenium in dissert. §. VIII. Attamen non recte Wilamowitz statuisse videtur (l. s. p. 334) neque philosophum fuisse scriptorem π. ὕ. neque grammaticum neque rhetorem, sed πολιτικόν. Nam quominus πολιτικὸν eum dicamus, vetamur verbis ad amicum in rebus publicis versantem datis: εἴ τι δὴ δοκοῦμεν ἀνδράσι πολιτικοῖς τεθεωρηκέναι χρήσιμον (p. 10, 2). Apertissime denique rhetor est Dionysiorum et Caeciliorum ritu.

1) Eo loco male usus est Buchenau p. 53.

Atque extremum caput, in quo illa de pumilionibus leguntur, multis nominibus facit ad litem de tempore solvendam. Inducitur enim philosophus temporum depravationem graviter deplorans : simul cum libertate defecisse magna ingenia, suos enim aequales inde ab incunabulis servituti adsuetos omnem exuisse libertatis ardorem et quasi vinculis contractos teneri[1]). Atque Gai demum imperatoris aetate ita inveterasse novam rei publicae formam, apte ut increpari posset diuturna servitus, viri docti iudicabant[2]). Sed etiam in priora tempora idem cadere mihi quidem persuasum est. Nam cum rerum potiretur Tiberius, quotus quisque reliquus fuit, ut cum Tacito loquar, qui rem publicam vidisset? Quodsi a bello Actiaco initium cepisse facimus *δουλείαν* illam *δικαίαν*, soli fere sexagenarii libertatis memoriam retinuerunt. Sed iam plus decem annis antea in unius arbitrio omnia erant posita[3]). Non igitur illa servitutis deploratio, qua utitur philosophus, obstat, quominus inde a Tiberii principatu scribi potuisse libellum statuamus. Sed ne tota quidem extremi capitis disputatione, quae est de causis artium defectus, in brevius coartari mihi videntur temporum spatia. Nam quod Buchenavio tanta videbatur inter nostrum libellum Tacitique dialogum rerum verborumque similitudo, unum ut utrique tempus vindicandum esse proclamaret, quod idem Vespasiani contra philosophos edicto motus etiam uno biennio tempus circumscribere ausus est, equidem quae similia sunt[4]) rerum similitudine ita explicari censeo, ut alterum alte-

---

1) cf. p. 67, 19—68, 21 et imprimis *ἦ πιστευτέον ἐκείνῳ τῷ θρυλουμένῳ, ὡς ἡ δημοκρατία τῶν μεγάλων ἀγαθὴ τιθηνός, ᾗ μόνῃ σχεδὸν καὶ συνήκμασαν οἱ περὶ λόγους δεινοὶ καὶ συναπέθανον*; . . . . *οἱ δὲ νῦν ἐοίκαμεν παιδομαθεῖς εἶναι δουλείας δικαίας κτλ.*

2) cf. Bernaysium in actis minor. Acad. Berol. 1876 p. 60.

3) cf. Tac. dial. 17 statue sex et quinquaginta annos, quibus mox divus Augustus rem publicam rexit.

4) Unum afferam exemplum. p. 68, 22 *ῥᾴδιον καὶ ἴδιον ἀνθρώπου τὸ καταμέμφεσθαι τὰ ἀεὶ παρόντα*: dial. 18 vitio malignitatis humanae vetera semper in laude, praesentia in fastidio esse.

rius librum ante oculos habuisse probari nequeat. Tales vero disputationes primo saeculo omnium ore decantabantur. Itaque philosophus libelli nostri ἐκεῖνο τὸ θρυλούμενον se repetere diserte profitetur. Nam illi maxime aetati hoc proprium erat, ut cum conscientia depravationis artium tenerentur omnes undique corruptionis conquirerent causas. Hoc cottidiano sermone, hoc litteris agitabant. Neque deerant qui diversam quoque partem susciperent, ut ex Taciti dialogo videre licet[1]). Plurimi vero aut mutatae rei publicae formae aut corruptis moribus labem illam imputabant. Itaque sunt qui proprios libros huic quaestioni dedicaverint, ut Quintilianus, qui egit de causis corruptae eloquentiae. Plinii deinde uno ore queruntur omnes a maximo bono liberales dictas artes in contrarium cecidisse et servitute sola profici coeptum[2]). Optime vero Petronius quam pervulgatus fuerit iste sermo, nos docet[3]). Mitto philosophum Senecam in ep. 114 causas vitiosae orationis suo more exquirentem. Iam pater senex temporum lassitudinem acerbissime castigavit imprimis in praef. contr. I inde a § 6 : post Ciceronem cottidie ingenia decrevisse sive luxu temporum sive sublato eloquentiae praemio sive perpetua fati lege, qua ad summum perducta rursus ad infimum relaberentur[4]).

---

1) Quin ipse Tacitus interdum tristitia excussa ad laetiorem spem erigitur, ut ann. III 55: nisi forte . . . nostra quoque aetas multa laudis et artium imitanda posteris tulit.

2) hist. nat. XIV 1 epist. VIII 14.

3) Statim initio excerptorum Encolpius vehementissime invehitur in declamatorum insaniam, qua imprimis enervata sit oratio, neque alium exitum fecisse poetarum pictorumve artem. Ad quae Agamemnon rhetor ita respondet, ut laxatam veteris disciplinae severitatem culpam istam sustinere dicat. Sed plus etiam ad rem facit Eumolpus poeta, qui in pinacotheca deambulans in eum sponte incidit sermonem, ut causas excutiat praesentis desidiae: avaritia periisse pulcherrimas artes, cum omnibus formosior videretur massa auri quam primae laudis tabula (cap. 88).

4) Sine dubio talia etiam scholarum declamatoribus in deliciis erant, cf. ex multis Sen. p. 151, 9 K. — Conferendus praeterea est

Quin etiam sub ipso Tiberii regno tales disquisitiones iam usu erant receptae. Velleius enim sub finem primi libri quamvis in praecipiti festinatione supervacua se amplecti confiteatur, tamen „nequit sibi temperare quin rem saepe agitatam animo signet stilo“. Atque ut par est in aevi illius laudatore, non a mutatione temporum primarias ille repetivit causas intercepti artium floris, sed a rerum natura, quam Seneca tertio posuit loco. Tacitus denique iam primis Tiberii annis Hortensium clari oratoris nepotem ita facit disserentem, ut varietate temporum gentile domus suae bonum praeclusum sibi esse dicat [1]). Non dubito, quin similia multa converri possint ; sed satis habeo, si concedatur inde a Tiberio regnante componi potuisse extremi capitis disputationem.

At ex altera parte idem ille philosophi sermo et imprimis verba ex contrario posita τῇ δημοκρατίᾳ συναπέθανον οἱ περὶ λόγους δεινοί — οἱ δὲ νῦν ἐοίκαμεν παιδομαθεῖς εἶναι δουλείας mihi quidem suadere videntur, ne nimis longe ultra eorum hominum aetatem progrediamur, qui primi vivebant expertes libertatis.

Sed omnes fere inde ab Amatio non recte usi sunt verbis p. 68, 24. Cum enim scriptor philosophi querimoniis ita respondeat, ut neget τὴν τῆς οἰκουμένης εἰρήνην in causa fuisse ingeniorum defectus [2]), anxie illi tempus aliquod circumspiciebant, quo profunda per totum imperium Romanum obtinuisset pax et otium. Sed bella externa et in finibus imperii gesta non

---

locus (contr. X praef. 5 sqq.), quo nova poena libros combustos et de studiis sumptum supplicium graviter conqueritur Seneca: „Di melius, quod eo saeculo ista ingeniorum supplicia coeperunt quo ingenia desierant“. Ceterum omnis hic locus ab iis qui iudicia de Tiberii imperio ante Tacitum lata collegerunt, praetermissus est.

1) ann. II 37, quocum cf. dial. 38 mediis Augusti temporibus . . . longa temporum quies et continuum populi otium . . . . ipsam quoque eloquentiam sicut omnia pacaverat.

2) Certa enim est Spengelii emendatio: ὅρα δέ, μή ποτε οὐχ ἡ τῆς οἰκουμένης εἰρήνη διαφθείρει τὰς μεγάλας φύσεις.

faciunt ad ingenia exacuenda neque de his dixerat philosophus; dixerat de turbis civilibus. ἡ πρὸς ἀλλήλους ἔρις καὶ ἡ περὶ τὰ πρωτεῖα φιλοτιμία illa erant, quae ingenia alerent et incitarent. Haec postquam ad unum omnia relata sunt, evanuerunt, hunc quietum civitatis statum scriptor τὴν τῆς οἰκουμένης εἰρήνην appellat [1]).

Transeo ad auctores percensendos qui in libello nominati sunt. Qua in re id primo obtutu animadvertitur eos ad unum omnes superiores esse aetate Caecilii. Nam Ammonium (p. 31, 11) Aristarcheum esse dudum intellectum est [2]). Atque quod ad eius librum ut vulgo notum remittuntur lectores, id quoque ab inferioribus temporibus nos revocat [3]). Accedit locus de Gorgia p. 12, 19 vituperato. Nam ei contra usum nostri scriptoris patriae urbis nomen additum est: ὁ Λεοντῖνος Γοργίας. Cum igitur per se notissimus esset ille rhetor, ea causa hanc exceptionem admisisse scriptor videtur, ut Leontinum ab alio eiusdem nominis auctore discerneret. Et fuit alius re vera Gorgias rhetor temporibus Ciceronis cuius filium docuit [4]). Huius vero Gorgiae memoria Quintiliani aetate iam paene erat oblitterata [5]), ut etiam haec multo priorem commendent aetatem, quam quae placuit Buchenavio.

Ex altera parte non quidem offendit Theodori nomen nude positum p. 13, 19 [6]), cum Gadareum rhetorem dici nobilissimi sectae auctorem certum sit [7]). Gravioris momenti hoc est quod omnium qui Augusti aetate floruerunt rhetorum, si Caecilium exceperis, unus Theodorus est nominatus. Accedit quod huius sententiam non solum recipit scriptor, sed etiam ita laudat, ut

1) Similia videas apud Tacitum dial. cap. 36 in.

2) cf. Roeper, in philol. vol. I p. 630.

3) cf. Buchen. p. 53.

4) Cic. ep. XVI 21, 6.

5) cf. IX 2, 102 Rutilius Gorgian secutus non illum Leontinum, sed alium sui temporis.

6) τούτῳ παράκειται τρίτον τι κακίας εἶδος ἐν τοῖς καθητικοῖς, ὅπερ ὁ Θεόδωρος παρένθυρσον ἐκάλει.

7) cf. Buchen. p. 31.

ipsius Theodori eum fuisse auditorem rectissime conclusisse mihi videatur Buchenau (p. 33). Quod si statuis, facillime explicatur illud imperfectum *ἐκάλει*, quo indicat scriptor saepius uti in scholis suis termino *παρένθυρσον* Theodorum se meminisse. Qua in re id quoque observandum videtur in ipso illo vocabulo *παρένθυρσον*, quo affectus intempestive adhibiti notantur, idem studium apparere, quo ductus scriptor ad significantiam augendam cumulare praepositiones solitus sit. Neque sine causa singularem hunc praepositionum usum, cui ipse imprimis indulgebat, in Homero summis prosecutus est laudibus [1]). Atque in libro nostro non solum praepositionum in compositis cumulatarum mira est frequentia [2]), sed etiam aliis compositionibus indulget [3]). Quod etsi in universum inferioris aetatis scriptoribus magis placuit, tamen maxime apud Aegyptios Syriacosve scriptores deprehenditur [4]). Quae quidem res accuratiore indiget disquisitione, sed iam nunc probabilitate quadam ad id genus scriptorum deferimur. Atque' ipse Theodorus ex Syria fuit oriun-

---

1) *τὰς προθέσεις ἀσυνθέιους οὔσας συναναγκάσας παρὰ φύσιν καὶ εἰς ἀλλήλας συμβιασάμενος »ὑπὲκ θανάτοιο« τῷ μὲν συνεμπίπτοντι πάθει τὸ ἔπος ὁμοίως ἐβασάνισεν κτλ.* Quam rem eo magis cordi fuisse scriptori apertum est, quo avidius occasionem illius artificii laudandi arripuit. Digressus enim est a re proposita hac disputatione, qua absoluta verbis *οὐκ ἄλλως* ad antecedentia revertitur. — *παρὰ φύσιν* vero id dicitur, quod fit insolito more et a cottidiano usu alieno, cf. figurarum definitionem Caecil. p. 14 adn. 2, alia. Quod non intellegens auctor anonymus (Knox vocatur apud Iahnium) in libro verboso et inutili (remarks on the supposed Dionysius Longinus p. 35) tam haec quam multa alia quasi ab interpolatore profecta deleri iussit.

2) Cuius generis solus adhibuisse videtur haec: *ἀναχοή, ἀνθυπαντάω, ἀντισυμμαχέω, ἀπακμή, ἀποκύλισμα, διαριστεύομαι, ἐκπάθεια, ἐξέρεισμα, ἐποικονομία, κατάρυθμος, προεμφανίζομαι, προσεκπίπτω, προσεπιθεάομαι, προσπεριορίζομαι.*

3) Solum apud hunc scriptorem vidi *ἁδρεπήβολος, βιολογέω, εὐπάλαιστρος, ποκοειδής, συοφορβέω, ὑψηλοποιός, ὑψηλοφανής.*

4) cf. inter alia indicem Philoneum in Siegfriedii libro de Philone Alex. anno 1875 edito, et Freudenthal, Hellen. Stud. p. 164.

dus [1]). Quem aeque atque nostrum scriptorem abhorruisse ab Asiano dicendi genere pro certo scimus [2]).

Iam vero videamus, ecquid novi ex hac disputatione redundet ad primariam quaestionem solvendam. Ac Buchenavius quidem Theodori discipulos circa Vespasiani maxime aetatem floruisse putavit (p. 33) temporum notis ille perversissime usus. Floruit enim Theodorus teste Hieronymo anno 33 a. C. n. [3]). Quocum optime congruit praeceptorem eum fuisse Tiberii, qui natus est anno 41. Nam Tiberius non solum in secessu Rhodio auditor fuit Theodori [4]), sed etiam puer eius disciplinam subierat [5]). Accedit quod ex servis originem duxisse Theodorum testatur Suidas [6]). Oportet igitur natum eum fuisse ante annum 60 [7]). Quod si concesseris, eius discipulos ultra Tiberii imperium floruisse non putabis. Atque hoc idem ex Quintiliani testimonio efficitur dicentis (III. 1, 18): »plura scripsit Theodorus, cuius auditorem Hermagoran sunt qui viderint«. Anno igitur 92 pauci supererant qui vidissent Theodori discipulos; quod ita accipiemus, ut L fere annos ex eorum obitu praeterlapsos tunc fuisse statuamus. Mortem igitur ignoti auctoris circa Gai regnum definire licet, librum vero ipsum temporibus Tiberianis probabiliter vindicari dico.

---

1) Eius discipulus praeter Tiberium et Hermagoran Vallius Syriacus nominatur (Sen. contr. II 1, 36).

2) Sen. suas. 3, 7: »Tiberius Theodoreus offendebatur Nicetis ingenio«. Hic vero inter caldos declamatores numeratur §. 6.

3) Ad annum Abr. 1984: Nicetes et Hybreas et Theodorus et Plutio nobilissimi artis rhetoricae graeci praeceptores habentur. — Apollodorus Theodori aemulus et Augusti praeceptor floruit circa a. 64 cf. Hier. ad a. Abr. 1953. — Theodorus et Plutio apud Dionem Chrys. (p. 480 R.) inter eos habentur, quos quamvis νεωτέρους legendos commendat.

4) Quint. III, 1, 17. Suidas s. v. Θεόδωρος.

5) Suet. cap. 57.

6) ἀπὸ δούλων.

7) Non obstat quod apud Strabonem legitur (p. 759): Θεόδωρος ὁ καθ' ἡμᾶς ῥήτωρ.

Quam quidem sententiam non mediocriter adiuvari spero iis, quae in primo capite disputavi. Eam enim vidimus assiduitatem certaminis et acerbitatem, ut aut vivo etiam tum Caecilio aut non multo post eius obitum scriptam esse hanc controversiam verisimile videatur. Et produxisse quidem Caecilium vitam in Tiberii regnum consentaneum est, etiamsi Suidae testimonia non omni careant suspicione. Nam quod dicit s. v. *Τιμαγένης: ἐσοφίστευσεν ..... ἐπί τε Καίσαρος Αὐγούστου καὶ μετέπειτα ἅμα Καικιλίῳ* ideo certum non est, quod Timagenem quidem, qui Romam venit captivus circa annum 55, post Augusti mortem vixisse credibile vix est. Neque rem decernit, quod coniungitur Caecilius cum Hermagora Theodoreo [1]), quem sub Tiberio docuisse vidimus. Quod vero s. v. *Καικίλιος* profert Suidas: *ἐπὶ τοῦ Σεβαστοῦ Καίσαρος καὶ ἕως Ἀδριανοῦ* hoc vitiosissimum est [2]). Sed constat Caecilium non paucis annis minorem fuisse Dionysio. Nam ab hoc in sola epistula ad Pompeium nominatur, quae iure inter novissima eius scripta refertur. Praeterea Caecilius cum vestigia amici secutus in multis eius sententias impugnaret corrigeretque, eo mortuo demum maxime floruisse videtur. Dionysius vero usque ad annum 8 a. C. n. in antiquitatibus componendis versabatur (cf. I. 7). Quamvis igitur quot annos postea vixerit, compertum non habeamus, tamen Caecilium etiam sub Tiberio floruisse summa probabilitate commendari videtur.

Restat ut moneam scriptorem ignotum iam ante huius

---

1) Suid. s. v. *Ἑρμαγόρας: ἐπαίδευσε μετὰ Καικιλίου ἐπὶ Καίσαρος Αὐγούστου καὶ τελευτᾷ πόρρω τῆς ἡλικίας.*

2) Hoc vitium, quod viri docti ex duorum Caeciliorum confusione repetebant, eo natum mihi videtur, quod primarius eius loci auctor scripsit Hadriano regnante. Fuit enim sine dubio Hermippus Berytius (*ἐπὶ Ἀδριανοῦ τοῦ βασιλέως,* Suid. s. v. *Ἕρμιππος*), qui scripsit *περὶ τῶν διαπρεψάντων ἐν παιδείᾳ δούλων* (Suid. s. v. *Ἴστρος*). cf. Wachsmuth in symb. phil. Bonn. p. 143. Simili errore factum videtur, ut Theodori filius Hadriani aetate *συγκλητικὸς* fuisse diceretur, cf. Suid. s. v. *Θεόδωρος*.

libelli editionem similia nonnulla de sublimitate disputasse. Atque in medio relinquendum videtur, num contra haec ipsa Caecilius scripsisse putandus sit. Quod si ita erat, provocatus et lacessitus tam acerbe pugnavit adversarius. Videas quae repetuntur p. 17, 18 [1]) ex libro *περὶ Ξενοφῶντος*, ad quem procul dubio etiam p. 19, 1 [2]) respicitur. Graviora sunt quae de libris *περὶ συνθέσεως* scriptis [3]) discimus p. 63, 18 sqq. [4]). Id ipsum enim, de quo primo loco contentionem fuisse scriptori cum Caecilio vidimus, in illis libris demonstrare studuerat: posse aliquem natura a sublimitate alienum studio atque diligentia quam maxime induere sublimitatis speciem [5]).

III. Addenda ad editionem Iahnianam.

Morbo diuturno quo Ottonis Iahnii extremi premebantur anni, non debilitatam esse eius diligentiam in libri *περὶ ὕψους* editione procuranda summo iure admiratus est Hauptius [6]). Attamen dum apparatum criticum accuratius percenseo, huic aliqua ex parte debitam deesse perfectionem animadverti. Quod

1) *κράτιστον τὸ περὶ τὰς νοήσεις ἁδρεπήβολον, ὡς κἂν τοῖς περὶ Ξενοφῶντος ὡρισάμεθα.*

2) *γέγραφά που καὶ ἑτέρωθι τὸ τοιοῦτον ὕψος μεγαλοφροσύνης ἀπήχημα.*

3) p. 61, 15 libri duo *περὶ συνθέσεως* commemorantur.

4) *ὅτι πολλοὶ . . . οὐκ ὄντες ὑψηλοὶ φύσει μήποτε δὲ καὶ ἀμεγέθεις, ὅμως . . . . . διὰ μόνου τοῦ συνθεῖναι . . . ὄγκον καὶ διάστημα καὶ τὸ μὴ ταπεινοὶ δοκεῖν εἶναι περιεβάλοντο . . . . ἱκανῶς ἡμῖν δεδήλωται.*

5) p. 43, 19 voce *ἑτέρωθι*, cum solum ad exemplum aliquod referatur, non alium librum, sed deperditum aliquem nostri libelli locum respici puto cf. p. 16 adn. 1.

6) cf. opusc. II 428.

damnum ex adversa valetudine praestantissimi viri natum quantum potui reficere conatus sum [1]). Atque uti mihi licuit collationibus ab ipso Iahnio adhibitis, quae asservantur in bibliotheca seminarii reg. phil. Bonn. Partim etiam novis adiutus sum collationibus, quas incredibili diligentia et liberalitate meum in usum confecerant viri clarissimi M. Bonnet, C. Graux, H. de Rohden.

Ac primum dicendum est de cod. paris. 2036 (P), cuius collationem ab Iohanne Vahleno anno h. s. 61 confectam comparavi. Dubios locos denuo inspexit C. Graux. Atque primum non omnia ubique foliorum initia recte enotata inveni. Haec igitur corrigas: fol. 184 r p. 24, 10 *ἀπα|κμὴ* 189 v p. 36, 1 *ὑπερ|βέβηκε* 191 v p. 39, 4 *σχημάτων|* 200 r p. 55, 12 *συνθέσεως|*.

Versuum distinctiones suo iure praetermisit Iahn, sed adnotavit nonnulla, quae cum illis omissis intellegi nequeant, non possunt non in errorem inducere lectorem. Manus enim recentior, quam Iahn littera p signavit, pluribus locis verba duobus versibus inclusa aliter distinxit, atque factum erat a manu prima. Cuius rei exemplum habes p. 28, 19, ubi adnotationem *γινώ*κειν* P σ add. p miraberis. Scripserat P *γινώσ|κειν;* p σ in priore versu deletum posteriori addidit. Idem versa vice factum est p. 54, 3 *ὥσ|*περ*. Nonnumquam ipsa pr. m. inter scribendum hoc vitium correxisse videtur, ut p. 9, 11 *ἰ*|σχύοιμεν*. Indicavi locos omnes edit. Iahn., qui similiter explanandi sunt. Quae praeterea in illis inveni vitia, ea tacite correxi. Atque a pr. m. mutata sunt 30, 4 33, 14 34, 20 43, 14 m. rec. emendavit : 28, 12 *συντετειχι*|σμένα* 33, 27 46, 16 52, 3 53, 8 *κεκερα*|σμένην* 56, 15 57, 15 *ἐν|*ἅπασιν* 61, 2 64, 22 65, 18 67, 12 68, 7. 17.

Saepissime erasi sunt accentus verbis compositis non recte additi, quod etiam 14, 17 factum est in voce *ἰσοκράτους* (* supra).

1) Nonnulla iam correxit H. de Rohden in commentationibus societatis phil. Bonn. 1873 p. 68 sqq.

Iam reliquas correcturas servato ordine paginarum subscribam. Iahnio auctore omisi accentus, spiritus, ι mutum adscriptum vel omissum, ν ephelcyst., ubi nullius usus esse viderentur; sed etiam haec enotavi, ubi ex editione falsa opinio de codicis scriptura nasci posset.

9, 2 φλωρεντιανὲ 12, 9 χειμάῤῥον (ο sup.) 16 ὑπονοστεῖ, in marg.: ἀντὶ τοῦ χωρισθῆναι δυνήσεταί σοι 13, 14 ἐξόλου, in marg.: ἀντὶ τοῦ διόλου (.γι.) 15 περιεργασίας 14, 14 παρέλαβεν* 23 ἑρμοκράτη 15, 4 ποτὲ ἑαυτῶν 6 γ' οὖν (sic semper) 17 τ' ἄλλα 16, 3 μέθει 8 ἐπίφρον (ο sup.) 17, 5 ἄν****τὸ P ἄνευ**τὸ p 16 γο*νιμώτατα προϋποκειμένης (η corr. in ras.) 22, 17 ἀνδρ*ίαν 22 ἐγχεσπάλος 27 γῆρα* 24 in carm. Sapph. ἔμμενωνῆρο*σπσ ἀδὺφωνσαῖσ γελαισι* ἐμὰν καρδίαν στήθεσιν ἐπτόασεν (σ sup.) βρόχεως* ἔκαδε 26, 11 πάνθ' ὡς 27, 5 ναίουσιν (αι corr. in ras.) 8 ἤπου 16 δεδιότες 20 οἰκοῦν (prius ο in ras.) 28, 5 μόνονοὐκ corr. in μονονοὶκ 6 φέροντα 29, 12 πράγμασινδρίων 30, 6 ἀκροατὴν (ο corr. in ras.) 10 ἁρμόδιο*σ 13 πολι*τεία (λ sub.) (prius ι in ras.) 34, 2 σειρίου 15 ἄρη 18 αναλάκτους in marg.: ποκοειδὲς 35, 18 εἴτ' (ε sub.) 38, 6 συμμαχεῖται (poster. α in ras.) 23 in marg.: παυγῶ 27 καιόμενον* 42, 2 ταλαιπωρίαισ 6 προ*εισέβαλεν 43, 5 θύννων 7 in marg.: δοξοκοπῶ 20 αἰγυπτ*οί* 25 αὐχησιν 44, 8 ἐνπαθοῦς 14 (non 15) τὸ*ν 26 πλε'σε*αι 45, 9 μένον non in marg. sed in versu seq. (σ) 15 μητίσομαι 20 διὸ καὶ ἡ πρόχρησις 21 ἡνίκα 25 εἰμι : εἰμὴ 46, 20 in marg.: περίφρασις 47, 3 ἦν : ἦ 4 πνὰτῆτὴν (τῆ del.) 14 in marg. ἀβλεμές 15 ιὸν sup. vers. add. 48, 23 τόδ*' (ιὸ in ras.) θρηκίης 49, 1 τὸ* 51, 3 εἶκακὸν, ναι sup. scr. p. 52, 1 φασί 6 μάγειον, ρεῖ sup. scr. p πληρούμενο* (σ sup.) 15 ἀπόχρη 54, 19 *απολλώνιτοις, (ο ο sup.) ι add. p 23 ἀρχίλοχον* 25 μεῖζον

55, 9 ὕπακρως, ο sup. scr. p 56, 8 ὑγρὸ*σ 11 ἐπιχαρης 57, 17 post ἔκρινε inserendum τὸν ἄνθρωπον, ἀλλ' ὡς εἰς μεγάλην τινὰ πανήγυριν, εἰς 58, 15 ἐπί (ἰ in ras.) 61, 3 ὁμοίωσ 6 πανάκιά, ε add. p 15 αὕτη 62, 16 αἰεὶ 18 αὐτῇ 64, 3 καὶοἰκεῖ' 15 μι*κροποιοῦν (prius ι in ras.) 17 διχόρειο*ι (ο et ι in ras.) ὀρχησπ*κὸν (χ in ras.) 65, 11 ἀλλ' ὅ ἐκοπίασεν 13 ἄχαρι : ἀχαριστί κοπιάσαι ἄχαρί ἐσπ: ἀχάριστον 67, 9 alterum ἐν corr. ex ἐμ 10 περιθήματα 18 ἐπιπροσθῆναι 68, 5 ἕκαστόστε 23 καταμέμφεσθαι (deletas litteras αταμέμφ restituit p) 69, 9 ἀληθέστερον (η corr. ex ι) 11 βαίνουσα (β corr. ex μ) 18 ὕβρ*ν 19 π***νομίαν 70, 7 ἄρα 15 ἡ : οἱ.

Vides multa eam solam ob causam descripta, ut vitia editionis tollantur. Nonnulla vero etiam per se ipsa non inutilia esse spero. Nam iam in P animadvertes illud φλωρενπανέ (p. 9, 2) puncto addito in suspicionem vocatum esse. Deinde procul dubio p. 14, 23 apud Timaeum Ἑρμοκράτη et p. 34, 15 in loco Aeschyleo Ἄρη scribendum est. Porro p. 51, 3 κακὸν non in κακῶν, sed in κακοῦ mutandum est; nam hoc apud ipsum Platonem legitur, cuius verba referuntur. p. 61, 3 denique recte traditum est ὁμοίως; respicitur enim simile exemplum quod antecedit. Aliquot locos iam H. de Rohden l. s. tractavit, qui rectissime et p. 15, 4 scribi iussit ποτε ἑαυτῶν (p. 70) et p. 62, 18 ὃ ἐν αὐτῇ περιλαμβάνεται coniecit (p. 74). Praeterea Wilamowitzii emendationem ἀλλ' ὅ p. 65, 11 comprobatam vides.

Addendum est ad praefationem Iahnii (p. 6) signum ⊛ etiam p. 55, 8 adscriptum esse ad περὶ Ὑπερίδου notam in marg. scriptam, similiter ad περιαυγῶ p. 38, 23 et ad περὶ συνθέσεως ἔγραψε Διονύσιος p. 61, 15.

Secuntur cod. par. 2974 (c) et 2960 (d), quibus lacuna codicis P quae incipit p. 19, ex parte expletur. Eorum collationem (p. 19—22) adhibui ab Aug. Reifferscheidio anno 1867 conflectam. Mutanda in editione Iahn. haec sunt:

18, 18 ἐνόμισε c ὁ om. cd 21 μεγαλήτορον cd 22 ἐνθουσιαστικῶς cd 19, 3 ἐν νεκύᾳ c ἐν νεκύα τῇ νεκύα d

9 ἐμβριθεὶς bis d 20, 1 ἐποιήσεν c 8 ἐβρή*σουσιν (β in ras.) 9 καὶ om. cd 10 σάλπιξεν d 13 ἴσχε cd ἔπειτα, m. 2. sup. scr. ὕπερθεν c 12 πολοῖς d 13 τόπωσ d.

Scribendum igitur est p. 19, 3 ἐν τῇ νεκυίᾳ et p. 20, 1 ἐποιήθη (ἐποιήσθη d).

Fragmentum Tollianum — nam Tollius primus verba p. 11, 17 — 12, 4 (φύσις — θεωρίαν) edidit ex cod. vat.[1]) — nulla nunc librorum auctoritate niti putavit Iahn (cf. eius praef. p. 7). Nam nihil de eo adnotaverant quorum opera ille usus est. Neque enim Reifferscheidius, qui cod. par 985 (b), neque Aug. Wilmannsius qui cod. vat 285 (a) contulere, quidquam invenerunt praeter initium libelli pertinens usque ad p. 11, 15 ἀγαθῶν. Attamen a revera esse illum cod. vat. adhibitum a Tollio ex Weiskiana editione videre licuit. Atque in par. b quoque idem fragmentum legi docuerunt Boivinus ad Boilavii versionem[2]) et Eggerus in appendice libri „histoire de la critique" p. 524. Sed facile fallebantur viri docti, quod in utroque libro inter initium libelli supra definitum et verba 11, 15—12, 4 (εὐτυχεῖν — θεωρίαν) intercedunt nullo interstitio facto Aristotelia probl. 879 a 27 — b 35. Rem ita sese habere testati sunt viri amplissimi quos supra memoravi. Atque addenda in apparatu Iahniano vel mutanda haec sunt:

In titulo libelli ἢ legitur inter Διονυσίου et Λογγίνου in indice cod. b (fol. 79 ^{v}), non legitur in fronte libelli (fol. 222^{v}). In cod. a deest index, sed in fronte libelli (fol. 204 ^{r}) ἢ legitur alio atramento postea interpositum. 9, 1 ἀνεπάξατο ab 2 ἦσθα ab φλωρενπανὲ b 6 δυεῖν ab 9 ὡσ om. ab 12 ὡσ om. ab 13 ἐκλελειμένων ab 10, 4 πέφυκε ab 6 εἶπασ ab 7 τὶν corr. ex τῶν b 10 παριέβαλλον ab διεφόρησε ab 20 ἀνεδείξατο a 21 ἢ ἔστιν ab 11, 3 τεχνολο, m. sec. supra add. γίαισ b 5 παθητικῆσ ab 8 ὑφέστηκε ab 11, 15 τῶν ἀγαθῶν ὁ ποιητῆσ ἐπὶ τῷ κολύμῳ (Ar.

1) cf. eius ed. Traiectinam anni 1694 p. 13.

2) cf. oeuvres diverses de Boileau. Amsterdam 1702. II 260.

probl. 879 a 27—b 35) προιέσθαι τὴν γονὴν οὕτωσ ἐπιθυμοῦσι δὲ ἐντυχεῖν δεύτερον ab, nisi quod in b ἐντυχεῖν alt. m. add. in lac. βουλεύεσθαι : διαθέσθαι a et alt. m. in lac. b 16 πάντως om. in lac. ab 17 εἴποιμεν om. ab 19 κυριώτατόντε ab 12, 3 μοιδοκῶ ab 4 κομίσαιτο ab, κομι in b alt. m. add. in lac.

τέλοσ τῶν φυσικῶν προβλημάτων τοῦ φιλοσοφωτάτου ἀριστοτέλουσ rubr. col. b, omisit a tam haec quam alia quae rubro colore erant pingenda.

Sequitur in utroque codice (Galeni) τῆσ περὶ χρείασ τῶν ἐν ἀνθρώπου σωμάτων μορίων. Sed antecedit in cod. a, quod in cod. b in margine scriptum est, scholion ut videtur ad Galeni de usu partium libros[1]).

Cum pulvisculo omnia exhausi, quo clarius eluceret codicem a ex codice b esse descriptum. Nam cum in plurimis plane consentiant, nonnulla quae in fragmento Tolliano ad lacunas explendas addita sunt a manu rec. cod. b, in cod. a prima exaravit manus. Accedit quod illud scholion Galeni in margine codicis b scriptum continuo ordine descripsit librarius cod. a. Itaque etiamsi uterque codex miscellaneus non pauca continet, quae desunt in altero[2]), tamen de quibus agitur partes ex b in a translatas esse apparet. Nam eandem rationem etiam in interpolata problematum particula observavi. Itaque ad con-

1) Verba ita in codice b scripta sunt: τοῦ χρησιμεύει ἡμῶν ἡ παροῦσα πραγματεία εἰς ἰατρούς τε ἐπειδὴ μᾶλλον θεολογικὸν φαίνεται τὸ βιβλίον. καὶ λέγομεν ὅτι ἐπειδὴ κανόνας ἔχομεν διαγνώσεως τοῦτο πολλὰ μὲν καὶ ἄλλους. ἔχομεν δὲ καὶ τὴν βλάβην τῆς ἐνεργείας αἱ δὲ ἐνέργειαι πρώτως εἰσὶ τῶν μορίων. ἄλλως τε καὶ αὐτὰ τὰ ὄργανα πρὸς τὸ ὅλον ὡσαύτως εἰσί. χρησιμεύει ἡμῖν λοιπὸν εἰς διάγνωσιν τῶν πεπονθότων. εἰ μὴ γὰρ γινώσκει τις τὸ καταφύσιν ἄλλως πως τὴν διάθεσιν τὴν παραφύσιν τὴν πρώτως βλάπτουσαν τὴν ἐνέργειαν οὐκ ἂν διαγνώσεται.

2) Indicem libri paris. 985 habes in catal. bibl. reg. Problematum quae in illo codice fragmentum libri π. ὓ. antecedunt, in vat. 285 nihil occurrit nisi inculcata illa particula.

stituendum fragmentum Tollianum solum codicem b adhibebis, ab eodemque proficiscendum, ut unde provenerit illud indagemus.

Quaerendum igitur est, utrum quo modo p. 19, 14—22, 13 in codicibus deterioribus servata, ita haec quoque particula ex integriore codice P derivata sit, an, quod proposuit Eggerus [1]), prorsus alio ea nitatur fundamento. Atque cum non post ὡς ἡ μὲν (p. 11, 17) quae extrema sunt in fol. 179 codicis P, sed post ἀγαθῶν (p. 11, 15) inserta sint problemata, consentaneum quidem est non ex ipso P descriptum esse codicem b. Praeterea problemata quae in b alienum locum occupaverunt, suo ordine leguntur in P. Attamen quominus apographum codicis P fontem statuamus alterius codicis, nihil obstare videtur. Nam quod solum obiecit Eggerus p. 11, 15 sqq. verba εὐτυχεῖν, βουλεύεσθαι, πάντως quamvis clare descripta in cod. P partim omissa, partim a manu rec. vitiose esse suppleta, hoc ex mutilata apographi de quo dixi specie satis explicatur. Mutilatum autem fuisse exemplar codicis b etiam folium problematum transpositum arguit. Reliqua vero discrimina inter b et P conspicua parvi omnia sunt momenti solaque librariorum incuria nata. Quod ita sese habere in libro π. ὕ. ex adnotatione mea patet. Sed etiam problematum aliquot particulas a Carolo Graux ad codicem b conlatas cum compararem cum collationibus codicis P [2]), prorsus eandem inter utrumque librum necessitudinem inveni. Fons igitur unicus libri π. ὕ. codex paris. P fuit, ex eoque etiam fragmentum Tollianum deductum est.

1) l. s. p. 526.

2) cf. notices et extraits VII 101 sqq.

VITA.

Natus sum Iohannes Ludovicus Martens Hamburgi anno h. s. LII die V mensis Septembris patre Iohanne Henrico matre Francisca e gente Buek. Per tredecim annos discipulus fui Iohannei Hamburgensis quod tunc Carolo Bertheau et Iohanne Classeno ducibus auream vidit aetatem. Ibi vero imprimis Classeni adiutus sum disciplina incomparabili. Vere anni LXXII hanc almam litterarum sedem adii, cuius usque ad hunc diem civis fui assiduus; nisi quod annus intercessit tirocinii Lipsiensis. Scholis interfui virorum clarissimorum Bernays, Buecheler, C. Iusti, R. Kekulé, I. B. Meyer, Al. Reifferscheid, Ritschl, Schaefer, I. Schmidt, de Sybel, Vsener. Buecheleri, Heimsoethi, Vseneri benevolentia receptus sum in seminarium regium philologicum Bonnense, cuius per tria semestria fui sodalis ordinarius, per unum senior. Exercitationibus suis ut interessem benigne concesserunt epigraphicis Buecheler et Kekulé, philologicis Buecheler et Hiller, aristotelicis Meyer, goticis Reifferscheid. Quos viros omnes grata semper colam memoria; Buecheler vero et Vsener tam insigniter de me sunt meriti, ut gratias illis viris dignas agere me posse desperem.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I.

In marmoris Albani catalogo Euripideo eundem olim utraque columna continebat fabularum numerum.

II.

Thyestes et Cressae eiusdem fabulae Euripideae fuere nomina.

III.

Arist. Vesp. 396 sq. verba *μὰ Δί' οὐ δῆτ', ἀλλὰ καθιμᾷ αὑτὸν δήσας* non Bdelycleonis sunt sed Philocleonis.

IV.

Arist. Eccl. 82—104 versus suo ordine traditi sunt.

V.

Arist. Eccl. 503 scribendum est *τὸ σχῆμα μεταβαλοῦσαι.*

VI.

τοπηγορία apud scriptorem *περὶ ὕψους* idem significat, quod a ceteris rhetoribus vocabatur *τοπογραφία.*

VII.

In libello *περὶ ὕψους* scribendum est p. 29, 8 *ταύτῃ*, p. 48, 17 *ἐπείτοι*, p. 63, 13 *τῶν ἀκαίρων χρόνων.*

VIII.

In loco Quintilianeo (I 3, 2) „nam probus quoque in primis erit ille vere ingeniosus, alioqui non peius duxerim tardi esse ingenii quam mali“ extrema duo verbo delenda sunt.

IX.

Tiberius quaestor factus est undeviginti annos natus. Erravit Velleius II 94.